

1. Bagge f. A. Ehregott Nic. / diff.
de Sapientia Christi in Electione,
institutione atq. missione
Apostolorum, Jenæ 1752.

2. de Balthasar f. D. Jac. Henr. / diff.
de Doctrina et Praxis in Pomerania
Suevica, circa Nuptias prohibitas
Gryphiswaldie 1752.

3. ——— diff. de temporis plenitudine
Gryphiswaldie 1750.

4. Bardt f. D. Joh. Fried. / diff. de
applicatione homiletica, Lipsiæ
1752.

5. Baumgarten f. D. Sigism. Jac. /
Vindiciæ vere et realis Corporis et
Sanguinis Christi in S. Coena presentis
ab oppugnationibus Benj. Howley Hall
1749

PROGRAMMA
QVO
AD AUDIENDAM
VIRI EXCELLENTISSIMI AC DOCTISSIMI
DOMINI
LEVINI MÖLLERI,

LOGICÆ ET METAPHYSICÆ PROFESSORIS IN HAC
ACADEMIA CELEBERRIMI

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE PLENITVDINE TEMPORIS,

IN AUDITORIO NOSTRO MAIORI

DIE I. OCTOBRIS

PUBLICÈ VENTILANDAM,

INVITAT

SIMVLQVE DE QVÆSTIONE:

An de Existentiâ Dei & religione dubitare liceat,

DISSERIT

JAC. HENR. DE BALTHASAR,

S. THEOL. D. ET PROF. PRIMARIVS, SVPERINTEND. GENER.

ET H. T. FACVLT. THEOLOG. DECANVS.

IMPRIMEBAT HIERON. JOH. STRVCK.



uemadmodum *Atheismus* per se suaque natura corrumpit mentem moresque hominis *internos*: sic etiam per se operatur corruptionem morum, gestum aliorumque actuum *externorum*. Qui Deum agnoscit cultuque prosequitur decenti, is reverentiam suam, Deo debitam, externis quoque signis & gestibus declarabit, genuflexione, capitis denudatione, elevatione oculorum & manuum illarumque complicatione, corporis incurvatione &c. *Jes. XLV. 23. Phil. II. 10. 1 Cor. XI. 4. Job. XVII. 1. 1 Tim. II. 8. Exod. XVII. 11. sq. Gen. XVIII. 2.* Qui Deum veneratur, idem quoque nomen divinum ore suo confitebitur. Offeret Deo sacrificia laudis, fructum laborum suorum, *Ebr. XIII. 15.* Sacramentis utetur divinitus institutis, publicisque intererit sacris in honorem Dei, *Pf. XXXVI. 6. sq.* Juramento nomen divinum invocabit, ubi opus est. *Deut. VI. 13.* Liberos educabit per eruditionem & correptionem Domini, *Eph. VI. 4.* Honorabit Deum suis facultatibus. *Proverb. III. 9.* Quicquid denique agit, in honorem Dei agere studebit. *1 Corinb. X. 31.* Sed *atheismus* natura sua hæc omnia negligit, vel saltem hypocritica simulatione agere jubet, ne cordis malitia manifestetur. Quis vero negabit, hæc ratione *atheismum* per se externos quoque mores corrumpere fœdissime? Nec iterum obijcere licet, hæc omnia in aliis quoque observari impiis ac irrogenitis, licet Deum profiteantur. Non aliud inde sequitur, quam, in his æque ac *atheis* mores esse corruptos. Et in *atheis* quidem per naturam *atheismi*, quemadmodum in aliis per naturam dominantis in iis peccati. Sed, pergemus ad aliam hypothefin recentiorum quorundam Philosophorum, qui paradoxis delectantur, sed *Christianismo* e diametro oppositam.

Quod de *existentia Dei* & de *religione dubitare* LICEAT ad indagandam cognoscendamque veritatem, error est, jam dudum in *CARTESIO* ejusque affleclis damnatus a Theologis. Vid. JO. AD. OSTIANDRI Collegium *Considerationum in dogmata Theologica Cartesianorum*, Cap. I. th. I. J. C. SCHOMERI Collegium *noviss. Controvers.* Cap. I. p. 93. ZACH. GRAPPII *Systema noviss. Controvers.* Tom. I. cap. I. qv. 2. & P. van MASTRICHT *Gangræna Novitatum Cartesianarum*, p. 15. sq. Nihilominus hæc quoque thesis

thesis proponitur in Academiis, publice a Studioſis defendenda. Non illud omni caret ſcandalo, ideoque merito improbandum.

Eſt hæc dubitatio non involuntaria, qualis in regenitis quoque contra illorum voluntatem & absque conſenſu, vitio peccati originalis, nonnunquam exoritur, virtute autem divina ſupprimitur; ſed *voluntaria*, in iis, qui nexum idearum nondum perſpicere valent, conſentiente voluntate, *judicium eouſque retinens*, quousque non perſpiciunt, & ut ad nexum idearum perſpiciendam perveniant. Cum autem ne *illa* quidem licita dici poteſt, multo minus *hec* pro tali habenda eſt. Nuſquam hæc dubitandi methodus, tanquam medium inquirendæ, vel cognoscendæ veritatis, & existentia Dei, vel religionis neceſſitate ac veritate, in ſacris literis commendatur, vel approbatur. Sæpius vero omnis dubitatio hoc in negotio tanquam noxia homineque Chriſtiano indigna improbat. Qui voluntario, vel conſentiente voluntate, dubitat de existentia Dei & religione, is non credit, nec vult credere. Saltem non eo credit, nec eo credere vult momento, quo vult dubitare. Illo itaque momento ad Deum accedere nequit, *Hebr. XI. 6.* Non ſolum, qui negat, ſed qui non credit, nec vult credere, damnabitur, *Marc. XVI. 16.* Qui ſtudio & data opera dubitat de existentia Dei & religionis neceſſitate ac veritate, is illo ſaltem momento non colit Deum, nec vult colere. Num hæc licita diceres? Dubitando vero de existentia Dei & religione Deum coli, quis affirmaret? Qui voluntario dubitat de existentia Dei & religione, is dubitat etiam de providentia Dei, de gratia Dei ſuoque ſtatu gratiæ. Num is Deum invocare poterit cum fiducia, vel boni quicquam ab illo ſperare? Sine dubio negabis. Num vero hæc licita eſſe dixeris? Longe aliter *Jacobus* pronunciat in *Epist. Cap. I. 5. 6. Quod ſi cui veſtrum deeſt ſapientia*: (Si quis nexum idearum non perſpicit, majoremque ſapientiæ gradum & majorem convictionem de existentia Dei, de illius providentia & gratia, deque religione deſiderat.) *is* (non dubitet de existentia Dei & de religione, nec voluntaria dubitatione quærat ſapientiam & convictionem, ſed) *petat a Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, nec exprobrat. Et dabitur illi. Sed petat cum fiducia, nihil hæſitans. Nam, qui hæſitat, is ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitatur & impetu rapitur. Neque enim exiſtimet homo ille, ſequi quam accepturum a Deo.* 2 Dicis:

Dicis, Non negari Deum, sed dubitari tantum, ubi nexum idearum nondum perspicimus, & ut ad perspicentiam nexus porcentiamus. Si hæc de quibusdam argumentis, quibus existentia Dei & religio asseruntur, & de nexu idearum in illis argumentis intelligeres: facile admitti posset, quod de illorum veritate dubitare liceat, quousque nexum idearum in illis argumentis non perspicimus. Non vero, si de ipsa Dei existentia & religione intelliguntur. Quamvis enim in nonnullis argumentis nexum idearum non perspicimus, ideoque de *consequentiâ* dubitare liceat: inde tamen non sequitur, ut etiam dubitare liceat de *consequente*. Non perspicio nexum idearum in his: *Baculus stat in angulo, ergo foras pluit*, ideoque dubito de *consequentiâ*, vel illam omnino nego. Num vero ideo negare quoque licet *consequens*, si fortassis plueret foras? Eadem est ratio nostræ quæstionis. Quamvis dubitare liceat de *consequentiâ*, vel illam omnino negare, in nonnullis argumentis, existentiam Dei & religionem probantibus, ubi nexum idearum non perspicimus: ideo tamen non licet dubitare de ipso *consequente*, Dei existentia & religione. *Homo es*, ideoque jam ex conscientiæ distamine intelligis, etiam invitus, Deum esse eumque colendum. Contra illud vero data opera dubitare velle, impium est. Si *Philosophus* es: jam perspicies nexum idearum in argumentis genuinis. Si *Christianus*: virtute Spiritus S. ex sacris literis convictus eris de existentia Dei & de religione. Ut itaque in gratiam tui ipsius voluntario dubites de *consequente*, plane inutile erit ac illicitum. Si vero dubitationem in tui ipsius gratiam duxeris necessariam esse: neque Christianus eris, neque Philosophus. Ages etiam contra dignitatem hominis & contra naturam tuam. In aliorum vero gratiam dubitare velle, plane foret ineptum. Non dubitando, vel iudicium retinendo, sed veritatis confessione, solidis rationibus, precibus usque verbi divini infidelium expugnanda est perveracia. Miserrima, profecto, foret cenditio hominum simplicium, de plebe & inter rusticos natorum atque educatorum, si hæc valeret conclusio, quod eousque de existentia Dei & religione dubitare liceat, quousque nexum idearum in argumentis philosophicis non perspicimus. Quotusquisque illorum est, qui hunc nexum perspicit, vel perspicere valet? Ergo illis semper est dubitandum, & dubitare licebit.

Sed

Sed porro dicis: Non *serio* dubito. Credo utique, dari Deum eumque colendum esse. Credo etiam, meam religionem veram esse. Dubito tantum *exercitii gratia*. Fingo tantum, non dari Deum, nec illum colendum esse, ut, conquestis rationibus genuinis, certitudinem consequar infallibilem. Sed hac ratione ipse proderes, te nondum gaudere certitudine infallibili, & *serio* dubitare, ideoque nec cum fiducia accedere posse ad Deum, nec boni quicquam ab illo sperare. Præterea, ad certitudinem, ubi opus est, consequendam, non dubitatione voluntaria, sed aliis mediis utendum est, supra expositis. Denique, vel solum propositum cordis in conspectu Dei omniscii saltem ad momentum dubitandi de illius existentia & religione, licet exercitii tantum gratia fiat, adversatur reverentiæ, Deo debitæ. Finge tibi hominem, in conspectu Principis sui differentem hoc modo: Credo, Domine, te existere. Credo, Te mihi esse propitium. Credo, Te a me colendum esse. Spero tamen, te ægre non laturum, quod de his omnibus dubitem exercitii gratia, ut ex documentis evidentibus certitudinem consequar infallibilem. Quam hunc putas gratiam initurum esse apud Principem? Eadem est ratio hominis, qui, serio Deum se credere & colere, vendicat, tantum vero veniam sibi petit, vel promittit, dubitandi exercitii gratia, ad infallibilem consequendam certitudinem. Num hæc majestati divinæ tuæque reverentiæ, Deo debitæ, consentanea esse putas? In re seria tantique momenti non est ludendum. Nec facienda sunt mala, ut inde eveniant bona. Sis denique memor dicti Paulini *1 Cor. X. 12. Qui sibi videtur stare, Deumque & religionem credere serio, is videat, ne inutili dubitatione voluntaria, exercitii gratia instituta, cadat, vel in scepticismum incidat ipsumque atheismum. Noli Deum tentare.*

Plura addere jam non licet. Pergendum potius est ad id, cujus gratia hoc Programmata conscriptum. Exhibeo tibi dissertationem inauguralem Candidati mei doctissimi, Viri Excellentissimi, DR. LEVINI MÖLLERI, *Philosophiæ Professoris in hac Academia celeberrimi, de Plenitudine temporis ad Gal. IV. 4.* futuro die Jovis, die 1. Octobr. in Auditorio nostro majori horisque consuetis publice ventilandam. Nec dubito, quin hac quoque ratione demonstraturus sit, se gradu Doctorali dignum esse, statim post actum disputationis ipsi conferendo. Ut vero

idem ex ipso ejus *vitae curriculo* studiisque, in illo recensitis, intelligas, pro more, in Academia nostra recepto, illud subjecio, ab ipso Candidato consignatum.

Natus sum A. R. S. 1709. die $\frac{2}{13}$ Nov. in pago Scaniae, *Ryd* dicto; a Parentibus honestis mihiq; honoratissimis, Patre, ante 21 annos beate defuncto, JOHANNE MÖLLER, latifundii, cui nomen est *Skaberfö*, tunc temporis Inspectore, & Matre, quadriennium abhinc pie demortua, ANNA LUDOVICI, Civis Malmogienfis filia. Quemadmodum vero christianis Parentibus sacro regenerationis lavacro infantulis impertiendo nihil prius nihilque antiquius erit: ita quoque hujus beneficii divini mature factus sum particeps. Postquam tenera aetas disciplinae alicui capiendae apta erat; prima litterarum rudimenta & arithmeticae vulgaris praecipua mihi tradidit Pater longe carissimus. Deinde vero, septennis factus, LAUR. ALMENTI, Theologiae studiosi, Malmogiae tunc commorantis, ubi Parentes mei duo ante annos rerum suarum sedes fixerant, per anni spatium & quod excurrit, postea autem Avunculi mei aestimatisissimi, CHRIST. WALLENSTRÖM, etiam Theologiae studiosi, fidei atque curae per integrum fere biennium concreditus sum, elementa Latinae linguae animo imbibiturus. Post haec fidelissimae B. JOAN. BORLÉN, illo tempore quartae classis in Schola apud Malmogienfes publica Collegae, informationi traditus, eos in latina graecaque lingua feci progressus, ut post triennium ad supremam classem sum proventus, Rectore nunc B. OLAO WENNERSTEDT, tunc simul Professore Philosophiae Extraordinario, & Correctore Plur. Reverendo Dno SVENONE FVNDAHN, nunc Pastore Resloviae in Scania meritissimo, Fautore & Amico, omni pietate jugiter colendo. Sub horum Dnumvirorum solertissima non minus, quam fidelissima institutione in litteris humanioribus, philosophicis, primisque Theologiae fundamentis, ita profeci, ut me vitibus ampliolem litterarum campum ingrediendi satis instructum judicaverint periti harum rerum Censores. Anno itaque 1726. Albo Studiosorum Lundensi adscriptus sum, nomen professus apud Rectorem eo tempore Illustrum, Generosissimum Dn. Baronem EDMUNDVM GRIPENHIELM, qui non longe post praematura morte occubuit. In hoc Athenaeo, Celeberrimis omnium Facultatum Doctoribus florentissimo & quam maxime inelyto, Praeceptoribus gavifus sum in studiis Oratoris, Antiquitatibus Romanis, aliisque litteris humanioribus, B. CAROLO PAPKE, tunc temporis Professore Eloquentiae

Eloquentiæ celeberrimo, deinde S. S. Theologiæ Professore & Doctore maxime reverendo, & tandem Episcopo per Scaniam Blekingiamque reverendissimo, immo vero post obitum Socero meo desideratissimo; in *Philosophia* eodem Doctore, & B. ANDREA RYDELIO, tunc Philosophiæ Professore celebratissimo, priorisque antecessore in omnibus dignitatibus meritissimo; in *Mathesi* atque *Physica* B. DAN. MENLÖS, Mathematicum Professore celeberrimo; in *lingua hebraea* primum S. S. Theologiæ Doctore famigeratissimo, Episcopo Scaniæ Blekingiæque reverendissimo, nec non Academiæ Lundensis Pro-Cancellario, Dn. JOHANNE ENGSTRÖM, Patrono & Fautore omni pietatis cultu jugiter colendo, tunc temporis vero Adjuncto Facultatis Philosophicæ amplissimo; deinde vero S. S. Theologiæ Doctore celebratissimo, Archi-Episcopo Regis Regniq[ue] Sueciæ eminentissimo, & Academiæ Upsaliensis Pro-Cancellario, Dno. HENRICO BENZELIO, Mæcenate ac Patrono ut faventissimo, ita quoque a me ad urnam usque omni pietate ac veneratione colendo, eo autem tempore Professore LL. OO. famigeratissimo; in *Theologia* denique B. JACOBO BENZELIO, tunc Doctore ac Professore Theologiæ celebratissimo, deinde vero Episcopo Diocæseos Gothenburgensis reverendissimo, & tandem Archi-Episcopo Regis Regniq[ue] Sueciæ eminentissimo. Hisce Doctoribus usus, A. 1734. laurea philosophica ornatus sum, Promotore Juris Nat. & Gentium ut & Mor. Professore celeberrimo, Dno ARVIDO MÖLLER, Fautore & amico æstumatissimo, postquam duplex edideram Specimen, alterum de quæstione: *an dari possit Jus Nat. sine Deo*, sub Præsidio Auctoris plur. reverendi atque præclarissimi, Dni Mag. JOANNIS BRING, Pastoris Ausâsensem vigilantissimi, Fautoris & amici exoptatissimi, alterum, quod ipsemet conscripseram, *De Idea Dei, objecto suo conformi*, sub Præsidio Superintendententis Diocæseos Carollstadiensis reverendissimi, Dni Doct. NICOL. LAGERLÖF, Patroni atque Fautoris ad cineres usque pie colendi, eo autem tempore Philosophiæ Prof. celeberrimi. Totum hoc tempus in Parnasso Lundensi peregi. Sed aliorum informationi ob rem mihi valde angustam domi simul vacare sui coactus. Anno enim 1727. studii præfectus sum consultissimi apud Aböenses Juris Professoris, Dni CHRIST. PAPKE, Locum tenentis in Patria pariter ac apud Hollandos, Dni OLAI PAPKE, & per brevissimum tempus Concionatoris aulici admodum reverendi, Dni Mag. CAROLI PAPKE, amicorum & affinium, omni animi affectu jugiter colendorum.

Anno

Anno 1737. moderatus sum studia generosissimi Dni JOM. JAC. BVRENSKIÖLD, Nobilis Aulæ, deinde maxime reverendi ac celeberrimi in Athenæo Aböensi Philosophiæ Professoris, Dni Mag. CAR. MESTERTON, Fautorum & amicorum longe honoratissimorum, & per anni spatium Illustrissimi Comitis & Cubicularii Regii, Dni FRID. LAUR. BONDE, Patroni exoptatissimi, cum quo etiam mox, post obtentam promotionem magistrisalem, ad lares suos in Sudermanniam profectus sum. Deinde studiis præfectus sum Illustrissimi Comitis CANVTI POSSE, tunc Signiferi, nunc vero Centurionis in Patria pariter ac apud Gallos, Patroni honoratissimi, per annum tempus & quod excurrit: & denique Illustrissimi Comitis, NICOLAI ADAMI BIELKE, Cubicularii apud Regem pariter ac Principem Hæreditarium, Patroni mei æstumatissimi, per integros septem annos. Eo gratior autem mihi erat hæc provincia, quod non modo ad Musas Lundenses redire, ubi Magistri docentis munere me ornaverant tunc Cancellarius illius Academiæ Illustrissimus, Comes atque Senator Regis Regniq[ue] Excellentissimus, nunc B. CAROLVS GYLLENBORG, sed etiam Ao. 1738. inclutam, quæ Upsaliæ floret, Academiã salutare licuit, ubi celebratissimorum Matheseos Professorum, Nobilissimi SAMVELIS KLINGENSTIERNA, Fautoris & Amici honoratissimi, & nunc B. ANDRÆ CELSII informatione frui sum, & quidem Illius in utroque calculo, tam finitorum, quam infinitorum, Hujus vero in Astronomia cognatisque Scientiis. Sequenti anno Londinam redux factus, bis præsidendo disputavi, & frequentes Scholas privatas, in primis philosophicas & mathematicas, habui, muneris mei partes expleturus, donec Ao. 1742. in hoc illustri Athenæo Logicam & Metaph. publice profitendi provincia a S. R. M. mihi clementissime demandata est. Hæc jam ultra ostentium ter disputando, quater perorando, & præterea philosophica & mathematica docendo, Studiosæ Juventuti pro virili inservire allaboravi.


Jam ergo, ut in ipso conflictu publico plures videat sibi studiasque suis faventes, *Magnificum Academiæ Dn. Prorectorem, & Generos. Regii Dicasterii Dn. Directorem, cum reliquis dictorum aliorumque hujus urbis Collegiorum membris, & generosam denique lectissimamque Studiosorum coronam, eo, quo par est, studio invito, ut præsentia sua luculentum illi exhibeant benevolentia amotisque sui documentum.*


P. P. Gryphiswaldiæ in Feslo S. Michaelis, Ao. MDCCCL.
Sub Sigillo Facultatis.

ed 28.

00 A 6416

R





PROGRAMMA
QVO
AD AVDIENDAM
VIRI EXCELLENTISSIMI AC DOCTISSIMI
DOMINI
LEVINI MÖLLERI,

LOGICÆ ET METAPHYSICÆ PROFESSORIS IN HAC
ACADEMIA CELEBERRIMI

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE PLENITVDINE TEMPORIS,

IN AVDITORIO NOSTRO MAIORI

DIE I. OCTOBRIS

PVBLCICE VENTILANDAM,

INVITAT

SIMVLQVE DE QVÆSTIONE:

An de Existentiâ Dei & religione dubitare liceat,

DISSERIT

JAC. HENR. DE BALTHASAR,

S. THEOL. D. ET PROF. PRIMARIVS, SVPERINTEND. GENER.
ET H. T. FACVLT. THEOLOG. DECANVS.

IMPRIMEBAT HIERON. JOH. STRVCK.